871
G5.Yb2

UNIVERSITY OF
ILLINOIS LIBRARY
AT URBANA-CHAMPAIGN
CLASSICS


Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/germaniciphaenom00brey

871
G5. 402

Germanici Phaenomenorum loci quidam adnotati.

Scripsit

Alfredus Breysig.

Ex quo Syntagma Arateorum ab Hugeiano Grotio editum est, quamquam multi multifariam Germanici Phaenomena emendare conati sunt, tamen etiamnunc haud pauci loci poematis restant, quorum cum memoria incerta aut sit aut esse uideatur emendatione aut interpretatione indigent. quibus ex locis, hac scribendi opportunitate oblata, quosdam de quibus disputarem elegi. primum autem Phaenomenorum locum, ut interpretandi genus, quo Germanicus usus est, illustri exemplo ante oculos ponerem, paullo copiosius quam reliquos commentatus sum.

1. Eudoxus in Phaenomenis apud Hipparchum primi libri capite secundo (p. 8, 3 sqq. ed. Carolus Manitius) de dracone haec dicit: *Μεταξὺ δὲ τῶν Ἄρκτων ἐστὶν ἡ τοῦ Ὄφεως οὐρά, τὸν ἄκρον ἀστέρα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχουσα τῆς Μεγάλης Ἄρκτου . καμπὴν δὲ ἔχει παρὰ τὴν κεφαλὴν τῆς Μικρᾶς Ἄρκτου καὶ παρατέταται ὑπὸ τοὺς πόδας · ἑτέραν δὲ καμπὴν ἐνταῦθα ποιησάμενος πάλιν ἀνανεύων ἔμπροσθεν ἔχει τὴν κεφαλήν.* quae uerba Eudoxi Aratus Phaen. 45 sqq. editionis Maassianae sic uersibus executus est:

Τὰς δὲ δι᾽ ἀμφοτέρας οἴη ποταμοῖο ἀπορρώξ
εἰλεῖται (μέγα θαῦμα) Δράκων περί τ᾽ ἀμφί τ᾽ ἐαγώς,
μυρίος · αἱ δ᾽ ἄρα οἱ σπείρης ἑκάτερθε φέρονται
Ἄρκτοι, κυανέου πεφυλαγμέναι ὠκεανοῖο.
αὐτὰρ ὅ γ᾽ ἄλλην μὲν νεάτῃ ἐπιτείνεται οὐρῇ,
ἄλλην δὲ σπείρῃ περιτέμνεται . ἡ μέν οἱ ἄκρη
οὐρὴ πὰρ κεφαλὴν Ἑλίκης ἀποπαύεται Ἄρκτου,
σπείρῃ δ᾽ ἐν Κυνόσουρα κάρη ἔχει (ἣ δὲ κατ᾽ αὐτὴν
εἰλεῖται κεφαλὴν καί οἱ ποδὸς ἔρχεται ἄχρις,
ἐκ δ᾽ αὖτις παλίνορσος ἀνατρέχει).

Hipparchus autem eiusdem libri capite quarto (p. 30, 3 sqq. M.), postquam Eudoxum ipsum impugnauit, asseclam atque interpretem eius, Aratum, reprehendit, quod Eudoxi sententiam religiose secutus non sit . nam *ἰδίᾳ* (i. e. suo Marte) *δὲ*, inquit, *ὁ Ἄρατος ἐπὶ τοῦ Δράκοντος ἀγνοεῖ, πρῶτον μὲν τῷ φάσκειν „σπείρης ἑκάτερθε*

φέρεσθαι τὰς Ἄρκτους" . τῆς γὰρ οὐρᾶς ἑκατέρωθέν εἰσι, καὶ οὐ τῆς σπείρας. ἀντεστραμμένων γὰρ αὐτῶν καὶ ὥσανεὶ παραλλήλως κειμένων ἡ οὐρὰ τοῦ Δράκοντος μεταξὺ αὐτῶν διὰ μήκους παρατέταται· ἡ δὲ σπεῖρα τὴν μὲν Μικρὰν Ἄρκτον περιλαμβάνει, τῆς δὲ Μεγάλης πολὺ κεχώρισται. διὰ τὴν αὐτὴν δὲ αἰτίαν καὶ τὸ „ἀμφί τ' ἐαγώς" ἡμαρτημένως λέγεται· συνέβαινε γὰρ ἂν τοῦτο, εἰ ἐξ ἑκατέρου μέρους τῆς σπείρας ἀμφότεραι ἔκειντο αἱ Ἄρκτοι. Hipparchus igitur Arato dat crimini, quod et ursas ab utraque parte spirae positas, non caudae, et serpentem, qui ab una parte spirae ursam minorem amplexae collocatus esset, utrimque fractum esse dixit.

Germanicus autem in Phaenomenis u. 48 sqq. haec scripsit:

Has inter medias abrupti fluminis instar
inmanis serpens sinuosa uolumina torquet
hinc atque hinc supraque illas . mirabile monstrum
caudam Helicen super attendens redit ad Cynosuran
squamigero lapsu . qua desinit ultima cauda,
hac caput est Helices . flexu conprenditur alto
serpentis Cynosura; ille explicat amplius orbes
sublatusque retro maiorem respicit arcton.

En testimonium non refellendum doctrinae ac diligentiae Germanici. nam si interpretationem eius cum uersibus Arateis comparamus, poetam Latinum inter draconis caudam et spiram, quem flexum interpretatus est, accurate discreuisse uidemus ac si in Arato interpretando Hipparchi libros inspexisset. quae doctrina num ab ipso Hipparcho profecta sit, iure quaeras. qua de re nuper rectius quam de aliis rebus, quae ad Germanicum pertinent, iudicauit Joannes Maybaum, de Cicerone et Germanico Arati interpretibus p. 42 sqq. is enim Germanicum non ex Hipparcho aut Eudoxo, quem quibusdam locis secutus esset, hausisse, sed e commentario quodam Arateo, quo diuersae ueterum astrologorum sententiae continerentur, probare conatus est.

Germanici autem uersus supra tales scripsi, quales nunc emendatos uelim. nam totus de dracone locus, quamquam ab aliis haud infeliciter temptatus est, tamen etiamnunc medicina eget, in primis uersus 51, qui quo errore laboret explicauit R. Ellis noctium Manilianarum p. 234. haec enim praebet codex Basileensis: *cauda helicen superat tenditatcynos uran* et Matritensis A. 16: *cauda helicen superat tendit ad cynos uran.* hinc autem aliquid excidisse per se patet; quid tamen exciderit, parum constat. etenim uerbis *caput* aut *pene* aut *redit,* quorum unum codex Arundelianus, alterum Parisinus, tertium Leidensis post *tendit* pro supplemento additum habet, detrimentum resarciri nequit. neque eo secius codicis Leidensis auxilio dubito an verum reppererim, nam in archetypo fuisse credo, quae iam supra posui: *caudam Helicen super attendens redit ad Cynosuran.* fieri enim potuit, ut oculi librarii a littera *d* uocabuli *attendens* ad eandem litteram insequentis uerbi *redit* aberrarent, ut ipse et *attendit* scriberet pro *attendens* neque *redit* omnino neglegeret. quodsi sic legimus, Germanicus serpentem caudam super ursam maiorem attendentem ad ursam minorem redire i. e. pertinere dicit. quod autem redire dicit, ad uerba Arati u. 54 uidetur spectasse: *παλίνορσος ἀνατρέχει*

pro quibus postea u. 55 posuit: *sublatusque retro maiorem respicit arcton.* iam quod scripsi *caudam,* hanc lectionem Paulus Panske in commentationibus philologis, quibus O. Ribbeckio congratulantur discipuli Lipsienses, p. 507 attulit. idem eodem loco non solum de uerbo attendendi ac de praepositione post nomen suum collocata accurate exposuit, sed etiam u. 50 *supraque* recte traditum esse probauit et post *illas* iure interpunxit.

2. Qui Germanici poema nouissime edidit, Aemilius Baehrens, cum ego Phaen. 73 *terga nitent sertis* scribendum esse censuissem (cf. progr. Erfurt. anni 1873 p. 2), me ita impugnauit, ut post uersum 70 iterum *terga* pessime inferri diceret. at Germanicus cum terga Herculis iterum nominauit, Aratum, ut par erat, secutus est haec dicentem:

73 νώτωι ὑποστρέφεται κεκμηότος εἰδώλοιο.
Νώτωι μὲν στέφανος πελάει κτλ.

3. Phaen. 163 sq.:

Ipse (sc. auriga) *ingens transuersus abit laeua geminorum maiorisque ursae contra delabitur ora.*

Grotius et Burmannus u. 163 in uerbo abeundi adeo offenderunt, ut ille *adit laeuam,* hic *abit laeuam* pro tradita scriptura *abit laeua* poneret . praeterea Grotius errauit, cum *M. S.* (i. e. codicem Vossianum Latinum in quarto no. 79 bibliothecae uniuersitatis Leidensis) pro *abit* habere *adit* scriberet . neque uero quicquam mutandum est. Germanicus enim, ut situm sideris indicaret, aurigam, scilicet rotante caelo, laeua geminorum abire i. e. occidere et contra ursae maioris ora delabi iure scripsit.

4. De Cephei balteo apud Germanicum haec sunt:

balteus ambit
192 qua latus, ad flexum sinuosi respicit anguis.

Hoc loco Maybaum eodem, quem supra dixi, libro p. 38 pro *respicit* legi uult *respicis,* quam coniecturam Aratus u. 186 sq. fulcire uidetur. neque tamen Maybaum quae in codicibus legerentur explicatum habere iure negauit neque quid Germanicus dixerit intellexit. nam "quis est ille", inquit, "qui respicit, num qui e structura grammatica esse debet, Cepheus?" Subiectum est balteus et ordo uerborum hic: *balteus* (ea parte), *qua latus* (Cephei) *ambit, ad flexum sinuosi anguis respicit.* idem balteus, cum ipse splendoris indigeat, proximo sidere splendido draconis indicatur. est enim stella *β* Cephei, ubi balteus a latere eius recedit ad tergum. baltei autem *προσωποποιίαν* nihil moror.

5. *Nec procul Andromede, totam quam cernere nondum*
202 obscura sub nocte licet.

Jam et unus ex eis uiris doctis, qui de editione mea iudicauerunt, *nondum* retinendum esse recte censuit (cf. Litter. Centralbl. 1868 p. 725) et ego (Herm. XVII p. 405 sq.) scripturam hanc codicis Parisini argumentis ab Arato et scholiis Graecis petitis probasse mihi uisus sum. Ellis autem noct. Manil. p. 234 sq., quem illius et meae obseruationes fugerant, quamquam libri Parisini lectioni adstipulatus est, tamen etiam *nudam* pro *nondum* legi posse dixit. "An-

P 37175

dromede enim", inquit, "pingebatur modo detractis uestibus adfixa scopulo, modo ad pedem demissis". quod quidem in Manilium Manilianus locus, ab Ellis citatus (V 557), quadrare docet neque tamen idem de Germanico dici potest, cum hic *ζωμάτων πάντων* Arati (u. 201) memor Andromedam palla indutam sibi finxerit. nam hoc modo loquitur:

sic emicat ore,
sic magnis umeris candet nitor ac mediam ambit,
ignea substricta lucet qua zonula palla.

mediam autem pro *media,* quod librorum memoria traditum est, recte scripsit Panske eodem, quo antea, loco p. 308.

6. Germanicus, postquam de trianguli lateribus eorumque in caelo ductibus dixit et postremo illum indicauit ductum, qui reliquis breuior est, *'sed clarior igne',* u. 239 *hunc,* inquit, *aries iuxta. hunc* autem ad clariorem eundemque breuiorem ductum referri necesse est, qui stellis *β γ δ*, quarum *β* maxima est, formatur (cf. Argelander, Neue Uranometrie No. VII). quae trianguli pars ab ipso ariete maxime distat, a quo *α* proxime abest, ut iuxta hanc, non illas, quas supra dixi, stellas, Germanicum arieti sedem caelestem adsignaturum fuisse creads. iam uero Aratus situm arietis indicans de omnibus deltoti stellis cogitauit, non de maxima et splendidissima, nam u. 238 ait:

τῶν ὀλίγον Κριοῦ νοτιώτεροι ἀστέρες εἰσίν.

τῶν autem pertinet ad stellas trianguli omnes. quae cum ita sint, quamqam codices Basileensis et Parisinus *hunc* praebent — Matritensis, is quem supra significaui, habet *huc,* Leidensis *huic* —, tamen ad lectionem uulgatam *hinc* redeundum esse arbitror. nam *hinc* ad ipsum canis signum, non tantum ad partem eius, facile refertur. item *hinc Nemeaeus erit iuxta leo* u. 547 legitur, ubi membranarum memoria uariat inter *hinc* et *hic.* constat autem librariorum incuria *HINC* et *HÌC* in *HIC HVIC HV̀C HVC* saepe numero mutari.

7. Phaenomenorum uersus 268 omnibus, qui eum emendare conarentur, mendis scatere uisus est. quem ego una uoce mutanda restituere ausim. ac primum quidem uideamus, quid librorum memoria traditum sit. codices enim Basileensis, Matritensis, Parisinus habent haec:

cum primum agricolam uentus super immouet (supimmouet Paris.*) atri.*

pro *super immouet* praebet liber Bernensis *superimminet,* pro *atri* idem *agri,* codex Vaticanus 3110 *ater,* editio princeps *auster.* pro tradito autem uersu iussit scribi Grotius:

cum primum agricolam ueniens superimminet aestas.

Joannes Conradus Schwartz in editione carminum familiae Caesareae p. 55:

cum perit, agricolam uellens superimminet aestas.

Joannes Henricus Voss ad Aratum p. 52:

cum primum agricolae maturans imminet aestas.

Mauricius Haupt Herm. uol. III p. 153:

cum primum agricolam vernus tepor admonet agri.

Robinson Ellis in diario philologico, quod inscribitur Journal of Philology, anni 1877, VII p. 256:

cum primum agricolam uentus super imminet austri.

idem noct. Manil. p. 235 sq.:

cum primum agricolam lentus uapor ammouet agris.

quod autem ego propono, est hoc:

cum primum agricolam uentus superimminet acris.

nam cum Aratus u. 266 uergiliis et aestatem et hiemem arationemque indicari docuerit, Germanicus autem u. 269 hiemem significauerit, hic u. 268 aestatem, non uer aut arandi tempus, uidetur indicasse. aestatis autem ineuntis comes est auster. "dat enim", Plinius natur. histor. II 123 inquit, "aestatem exortus uergiliarum in totidem partibus tauri sex diebus ante Maias idus, quod tempus austrinum est, huic uento septentrione contrario". atqui Germanicus ipse dubitari uix potest quin Phaen. fragm. II 3 taurum portare aquas et uentos excitare *acris* dixerit. pro *acris* enim traditum est *aries*, pro quo Grotius *acres* posuit. hinc ergo u. 268 uentus acer uel *acris* a Germanico austrinus uentus intellectus esse putandus est. communiter autem hic et haec *acris* inde ab Ennio usque ad tempora Quintiliani, maxime a poetis, dicebatur, cf. Neue-Wagener, Formenlehre d. Lat. Sprache II^3 p. 15 sq. iam quod Germanicus agricolam austro, uento aestuoso ac noxio (cf. Plin. nat. hist. II 119 sq.), superimmineri dicit, hoc inde repetendum uidetur, quod in primis agricolas in agris opera facientes huius uenti ui atque aestu affici consentaneum sit. superimminendi autem uerbum quid significet et cum quo casu coniungatur, non minus quam Germanicus docet Vergilius Aen. XII, 304 sqq. cuius imitator Auienus eodemne uerbo Arat. 963 usus sit, postquam P. de Winterfeld, de Rufi Festi Auieni Metaphrasi Arateorum recensenda et emendanda p. 29 sq., de hoc loco doctissime disputauit, iure dubitandum est.

8. *Jam neque perficiet cursus nec uota breuis lux.*

Sic uersus 290 auctoritate codicis Matritensis legendus est. Germanicus enim sic sentit: cum sol in capricorni signum intrauerit, breuiorem fore diem quam ut cursus uotaque nautarum perficiat. a uulgata autem scriptura *nam* pro *iam* profectus Josephus Frey, nou. mus. Rhen. XIII 418, ante hunc uersum aliquid excidisse suspicatus est. uerum enim uero etiamsi Germanicus sic scripsisset, quid censuisset intellegi posset nec quicquam esset supplendum. nam ille u. 290 sqq. illustrat, quid consequatur breuem horam occasus ortusque intercipientem i. e. illud tempus anni, quo horae diei breuiores sunt quam noctis. Buhlium autem *nec* pro *et* recte coniecisse codicis Matritensis scriptura comprobatur.

9. *In terra temptare undas iuuat, aspera sed cum*
adsultat lateri deprensae spuma carinae,
300 tunc alii curuos prospectant litore portus
inuentasque alii terras pro munere narrant;
303 ast alii procul a terra iactantur in altum.
302 interea exanimat pauidos instantis aquae mons.

Josephus Frey eodem atque antea loco p. 427 uersus 301 et 302, ac si quid superflui Germanicus attulisset, suppositicios esse censuit.

at Grotius uersum 303 ante praecedentem uersum collocandum proposuit. quodsi fecerimus — et fecit Baehrens — sententiae commode procedent. nam et qui litori iam adeo appropinquauerunt, ut ipsos portus prospectare possint, et qui, cum remotiores illis ab ora sint, saltem terram inuentam i. e. prospectam pro munere praedicant, eidem opponuntur eis, qui procul a terra in altum iactantur.

10. Vt uersum 317 ab eis, qui codices Basileensem, Matritensem, Parisinum manu exarauerunt, omissum et uersum 318, qui in libro Matritensi deest, mendis liberarem, haec legenda esse duxi:

315 Est etiam, incertum quo cornu missa, sagitta,
quam seruat Iouis ales. habet miracula nulla,
si caelum ascendit Iouis armiger. hic tamen arduos
unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymeden.

olim enim *aruo* pro *arduos* et *Phrygio* pro *Phrygium* posui, nunc autem Aemilii Baehrens coniectura usus scripsi *arduos* pro *arduum* aut *ardum* librorum manu scriptorum. *arduos* autem disyllabum est, ut *quattuor* apud Ennium et Senecam cf. Lachmanni in Lucretium commentar. p. 192 sq. atque idem significat quod *in summum aera sublatus*. sententia igitur uersuum est, aquilam non magnitudine sideris (cf. Arat. 314 *οὐ τόσσος μεγέθει*), sed (quae secuntur, ea indicat particula *tamen*) officio, quod Ioui praestiterit, insignem esse. neque igitur hoc loco quicquam desideratur, ut nullo opus sit supplemento, quod quidem Josephus Frey in programmate Culmensi anni 1861 p. XV sq. Germanici uerbis inserere conatus est. sed ne prae mea coniectura conatus aliorum silentio praeterire uidear, Grotius proposuit scribendum esse:

ascendit tamen arduus, armiger hic est.
unguibus is nocuis Phrygium rapuit Ganymedem.

Schwartz l. c. p. 64:

si caelum ascendit Iouis armiger. hic etenim arduum
unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymedem.

Schaubach in Arateis ineditis, quae Lipsiae adseruantur:

si caelum ascendit tamen arduus armiger, hic est.
unguibus is nocuis Phrygium rapuit Ganymedem.

Orelli Phaedri fab. p. 172:

si caelum ascendit Iouis armiger. hic Catamitum
unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymeden.

Baehrens:

si caelum ascendit Iouis armiger arduos. hic nam
unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymeden.

Ellis noct. Manil. p. 236:

si caelum ascendit Iouis armiger. hic tamen aptum
unguibus innocuis etc.

11. De cane et Sirio haec Germanicus:

talis ei (sc. Orioni) *custos aderit canis ore timendo:*
ore uomit flammam membris contemptior ignis.
335 Sirion hanc Grai proprio sub nomine dicunt.

Hi uersus cum in optimis membranis desint, ad recentiorum codicum ordinem delegamur, e quibus Leidensis et Bernensis habent u. 335

hunc. equidem scripsi *hanc,* ut sit quod referatur ad *flammam,* quam canis ore uomit i. e. ad stellam *α* canis maioris, quam unam canis stellam fieri non potuit ut Germanicus ipsum intellegeret canem. et uix est quod dicam Germanicum u. 619 sq. Sirium et canem diligenter discreuisse. quodsi *hanc* ponimus, ne est quidem cur quicquam ex hoc loco excidisse statuamus. neque igitur adsentiri possum Gustauo Sieg, de Cicerone Germanico Auieno Arati interpretibus p. 22 sq., qui hoc loco lacunam repperisse sibi uisus est.

12. Burmannus Chironem *mitissimum omnis inter nubigenas* a Germanico u. 421 nominatum esse putauit, item Ellis l. c. p. 328. Rectius Grotius, qui *iustissimus* pro librorum memoria quae est *tutissimus* posuit, testimoniis Orphicorum (Argon. 381 Herm.) et Auieni (Arat. 889) usus: Auienum quidem eius rei testem bene citauit neque tamen opus est Chironis memoriam repetere ab Argonauticis; praesto Homerus, cuius uersus (*Λ* 382) de iustissimo Centaurorum uidetur animo Germanici obuersatus esse . nubigenas autem illum secutus Vergilius Aen. VII 674 et VIII 293 dixit Centauros.

13. *Tunc habet aeterni cursus fastigia summa*
erectoque polo breuius non adplicat umquam
480 candentis currus.

Grotius u. 479 *Phoebus* speciosius quam uerius posuit pro *breuius,* quod habent optimi libri; in reliquis, qui in censum ueniunt, est *breuibus.* Homerum enim imitans Germanicus quod modo u. 478 affirmavit, id continuo eis quae secuntur ita repetit ut contrarium neget cf. Homericum illud ἔπος φάο μηδ' ἐπίκευθε. *breuius* autem idem est ac *breuiore interuallo* uel *propius,* quod ipsum Orelli carmini inculcare uoluit. iam uero solem eodem tempore, quo ab ariete ad cancrum ascendat aut, ut ait Germanicus, aduerso nitatur orbe, polo arctico i. e. ei caeli regioni, quae uergit ad septentriones, appropinquare res ipsa docet. quod nisi Germanicus hoc loco sensisset, u. 492 aquilonem a sole relinqui dicere non potuisset. idem quod Germanicus statuit Auienus, cuius uersum Arat. 974 Maybaum l. c. 39 sq., ut suam huius loci interpretationem commendaret, haud feliciter huc arcessiuit. nam quod ait Auienus

sol istinc flammifer aethram
iam relegit pulsuque deus semel ordine facto
flectitur aestiuo neque celsum semita in axem
sideris erigitur,

hoc nil aliud significat nisi in cancri signo solem flecti neque longius ascendere. quandoquidem in uerbo erigendi inest uis comparatiua, Auieni uerba licet sic explicentur.

14. *636 Inperfecta redit caelo tum nota* (codd. *tota*) *corona.*

Sic nunc scribo, non *uota,* ut olim, aut *orta,* quod Baehrens, aut *nata,* quod Panske l. c. 409, aut *torta,* quod Ellis l. c. 240 scribi iussit. etenim corona borealis, de qua hoc loco agitur, Ariadnae sacrata (cf. Germ. 71) omnibus nota est, australis autem est *sine honore corona* et, ut ait Germanicus u. 692, *minus Minoa* i. e. boreali corona *nota,* ut Pauli de Winterfeld, de Rufi Festi Auieni metaphrasi Arateorum etc. p. 33 sq., emendatione felicissima utar.

15. Saepe numero Germanicus copulam quae dicitur omittere solet, saepissime *est,* multo rarius *sunt*, semel *es* (Phaen. 2) et *sit* (u. 315), item *erat* (u. 115) et *erant* (u. 114). quod haud ita rarum genus dicendi, ne dicam tacendi, quamquam certa optimorum codicum memoria praeter unum locum confirmatur, tamen Germanico aliquot locis abrogatum est, uelut ille 137 sq. sic scripsit:

deseruit propere terras iustissima uirgo
et caeli sortita locum, qua proximus illi etc.

quae uerba omnes omnium ordinum libri manu scripti uno consensu praebent. quo loco ut *sortita* pro *sortita est,* ita u. 133 *data* pro *data est* Germanicus dixit, cf. u. 534 *quem propter fabricata ratis.* itaque quod ipse Orellium, qui *et caeli est sortita* scripserat, secutus olim edidi *et caelist sortita locum,* nunc reiciendum credo. neque igitur dubito quin et Grotius et Schwartz et Baehrens errauerit, quorum unus legi uoluit *em caeli sortita,* alter *caeli sortitura* uel *in stella sortita,* tertius *hunc caeli sortita locum.* denique nuper R. Sabbadini, cuius librum, qui inscribitur "Sallustius, Ouidius, Plinius, Germanicus, Claudianus cum nouis codicibus conlati atque emendati", Catinae anno 1888 editum acquirere frustra studui, *hac caeli sortita* emendabat, cf. Tolkiehn, Wochenschrift f. klass. Philolog. 1889 col. 801 sqq. Palermitanus autem Germanici codex, quem ille in censum uocauit, omnino non incognitus est, quippe qui a Martino Hertz sit inspectus, cf. Germanici Aratea p. XXIV. Item propter omnium membranarum concentum meis aliorumque coniecturis neglectis scripturas u. 293 *tunc rigor aut* et u. 319 *at telo appositus* retinendas esse censeo nec minus, quamuis quidam deterioris notae libri dissentiant, u. 198 *talis dispositis stellis,* u. 210 *capiti tristissima forma,* u. 457 *lactis ei color et* iure legitur. restat unus ille, quem supra indicaui, locus. uno enim et tricesimo uersu *ueteris si gratia famae* libri pro se quisque habent. atque etiam hoc loco propter Germanici usum cum Grotio *ueteri* quam cum aliis *ueterist* scribi malim.

16. Inde a u. 632 medio usque ad u. 635 sic legendum esse censeo:

cum scorpios exit,
non totis radiat membris miserabile sidus;
at cum tantum aberit, quantum lyra surgit, ab undis,
635 arcus ipsa suo caelo referetur imago.

ac libri pro *non* habent *tum* aut *tam* aut *iam.* atqui engonasin siue nixus in genibus, de quo h. l. agitur, cum scorpione nondum totus oritur, sed demum cum sagittario cf. Arat 618 sqq. et Hipparch. II 2, § 44 sqq. quam ob rem *non* scripsi . uersu autem 634 *abit* tradita lectio est. atenim nixus, cum lyram semper praecedat (cf. Arat. 615 *αἰεὶ γνὺξ αἰεὶ δὲ Λύρῃ παραπεπτηῶτος*), simulac lyra orta est, non potest non totus ortus esse, quo tempore oritur sagittarius . totus autem nixus cum sagittario oritur . quod quidem Germanicus ita docet, ut dicat, cum nixus tanto spatio, quanto lyra oriens ab eo absit, afuerit ab undis i. e. a circulo finiente, tum iam sagittarium oriturum esse.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
871G5.Y82 C001
GERMANICI PHAENOMENORUM LOCI QUIDAM ADNO
3 0112 023676676